

defendit. sunt igitur tres gladii, quibus dimicant milites Christi: est gladius separationis et est gladius exterminationis et est gladius circumspeditionis. de gladio separationis dicit Dominus in evangelio: ‚non veni pacem mittere, sed gladium. veni enim
 5 separare filium a patre suo, et filiam a matre sua, et nuram a socru.‘ de gladio exterminationis dicit idem ipse Dominus, non tamen per se, sed per servum suum: ‚si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis et his, qui oderunt me, retribuam. inebriabo
 10 sagittas meas sanguine et gladius meus devorabit carnes.‘ de gladio circumspeditionis dicit Salomon: ‚lectulum Salomonis ambiunt LX viri ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.‘ primus separat a parentibus, expellens a nobis carnales
 15 affectus; secundus a vitiis, vincens in nobis mortiferas passiones; tertius confederat virtutes, nutriens in nobis spirituales delectationes. hoc igitur triplici gladio per Spiritum timoris accingimur, qui, dum eterni iudicii terrore memoriam concutit, quicquid vitii de carne voluntatem attemptat, citius reprimit,
 20 sicque mentem vitiorum carnalium affectibus expiatam spiritualium delectationum capacem efficit.

Lancea spiritualis militie, qua, ne nobis appropinquet, adversarius propulsatur, geminam dicimus dilectionem, divinam videlicet atque humanam. in lancea sunt duo: lignum et ferrum;
 25 lignum longum, ferrum acutum. similiter in dilectione nostra geminus debet esse affectus: divinus scilicet, ut dictum est, et humanus. humanus debet esse longus, id est, (235^a) nobiscum perseverans usque ad mortem; divinus acutus, id est penetrans subtilia et invisibilia, sempiternam quoque virtutem
 30 Dei ac divinitatem. et sciendum, quod uterque affectus a timore incipitur, sed ab utroque tamen timor ejicitur. unde dixit quidam: ‚ingrediens animum timor introducit amorem. introductus amor pellit procul inde timorem.‘ utrumque etiam scriptum legimus: ‚et initium sapientie timor Domini‘ et: ‚caritas
 35 consummata foras mittit timorem.‘ hac sane lancea per Spiritum pietatis armamur, qui, dum sue benignitatis dulcedine om-

4 Matth. 10, 34. 7 Deuter. 32, 41f. 11 Cant. 3, 7. 32 Zwei Hexameter, die ich nicht nachzuweisen vermag. 34 Psalm. 110, 10 + 1 Joann. 4, 18: perfecta caritas f. m. t.